

4



dem nostris in Vineis novas Philosophiæ vites, sed Reverendissima Amplitudo tua rigavit, & incrementum dedit. Summa igitur æquitas exposcit, ut parti laborum nostrorum fructus tuis sub auspicijs in lucem publicam prodeant, ac te præcellentissimum Philosophiæ modernæ Fautorem, Promotorem, ac Mecænatem munificentissimum ubique deprædicent. Faxit DEUS, ut ad communem rei literariæ florem in Vineis quam diutissime vireas. Qui fixo sacris fimbrijs devotissimo basio ad tumultum usque persistimus

Reverendissimæ, Perillustris, ac Amplissimæ
Dominationis Tuæ

*Filius obsequentissimus Præses
Servi humillimi Defendentes.*

PRÆFATIO.

Quemadmodum Sapiens proverbiorum cap. 30. vers. 18. & 19. de semetipso palam fatetur: tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia: sic mihi quoq; tria videntur difficilia in linea physica, Cometæ nimirum in cælo, motus, ac tremor in terra, suspensio fluidorum in tubis, quartum denique penitus ignoro. Quidnam illud? dicam: mutuum est commercium animæ & corporis in homine. De his itaque pro viribus impræsentiarum pertractandi est animus. Lector benevole meis conatibus fave, eosque benigno oculo adspice!

SECTIO